



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Rubrica, De Magia sufficientia indica. Artic. XLIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

Rubrica,
De Magia sufficientia indica.

ARTIC. XLIV.

SI quis offerat alias Magiam docere, vel aliquem maleficare minetur: & illi, cui minatus est eiusmodi quid contingat, vel etiam singularem consuetudinem cum Magis aut maleficis habeat: vel talibus suspectis rebus, gestibus, verbis, & substantijs vtatur, quæ Magiam secum important, & illa persona de hoc alias sit diffamata, hoc præbet firmum indicium Magiæ, & sufficientem causam ad torturam. Hactenus sunt verba constitutionis criminalis sancitæ à Carolo V. Imp.

Hoc posito respondetur hanc constitutionem in d. art. 31. capiendam de denunciatione vnus vt in terminis loquitur, non plurium. Nam locutio singularis legis non potest resolui in pluralem, quando plurium & vnus diuersa est ratio iuxta doctrinam Præsidis Nechliniensis in loco à vi numeri, Nu. 1 & 8. diuersam vero rationem esse in nostro casu plurium & vnus ostendit in resp. ad 1. quæstionem. Item primum requisitum d. ar. 31. non habet locum in denunciatione à pluribus facta quod probatur. Non debet reus in genere de complicibus interrogari, quando indicium aut præsumptio adest contra singularem personam: sed potest fieri de illa specialis interrogatio. glos. & DD. l. fm. (de accusat. Brunus de indisc. 1. p. q. 6. n. 4. Bostius. de inquisit. nu. 61. Menoch. Præf. de arbitr. iud. l. 2. cent. 5. cas. 474. num. 53. Binsfeld. membr. 2. concl. 1. vers. pro iudicibus annotandum. quando autem plures denunciant, post primam denunciationem iam adest denunciatione primi indi-

A cium seu præsumptio, hoc enim prior ille operatur: & ideo inter indicia ad inquisitionem & interrogationem hæc sufficientia ponitur denunciatio vnus complicis. idem Menoch. de præsumpt. lib. 1. præf. 8. nu. 2. & constat plus requiri ad inquisitionem specialem, quam ad interrogationem specialem, quia illa est maioris præiudicij. Vnde & illud infero, cum plus idcirco etiam requiretur ad capturam: si in ea licet, magis licebit ad specialem interrogationem: sed ad capturam sufficere, non desunt qui velint, vt Lancelotus præf. crim. tit. de inquisit. n. 34.

B Præterea nec 4. conditio requiritur in denunciatione à pluribus facta, vt etiam doctum in resp. ad 1.

Ergo Carolina non potest extendi ad denunciationem plurium.

C **QVÆSTIO V.**

An denunciationibus infamium sit credendum in criminibus exceptis contra personas bonæ famæ?

Reponitur quæstio generaliter: & supponit absolute, siue sint plures denunciatores siue vnus: atque in his terminis eam discutemus, scilicet vtrum vel pluribus talibus sit credendum? sic res magnam patitur difficultatem.

D Plerique censuerunt contra constantem & non vulgarem denunciati famam bonam, nihil ad torturam valere plurium complicum nominationem. idque ne sit in potestate & arbitrio istorum tam infamium grauare & denigrare bonum nomen, existimationem, personam hominum proborum. citantur pro hac sententia, Ruph. Cuman. conf. 136. ad 1. col. 4. Alex. conf. 89.